


Q.K.  
384  
21a.

(X1904169)

Hn  
6360



Q. D. B. V.  
DIATRIBE HISTORICA  
PRIOR

Quâ  
GENUINAM  
**CURILAN.**  
DÆ GENTIS  
ORIGINEM

*Amplissimi Philosophorum ordinis suffragio*  
LEUCOREIS ATHENIS

publicè recensebit

PRÆSES

**M. SAMUEL RHANÆUS**  
Gramsdenâ Curlandus

RESPONDENTE  
**JOH. CHRISTOPHORO ERNESTI,**

Keula - Thuringo.  
Addiem 14 Octobr. A.O.R.M. DC. LXXXIII.  
H. L. Q. C.

WITTEBERGÆ, Typis Viduæ AUGUSTI BRUNINGII.







## PROOEMIUM.

**N**on sanè nihil ponderis habet,  
quod rerum diu oblitarum vetustas multis  
difficultatem objicit, & plerosque ab instituto  
deterret, ut vel in conatu operis calamum abji-  
ciant, & victi molestiâ conquiescant. Quod mihi nunc  
evenire fateor, dum & Scriptorum antiquorum filentiô, &  
monumentorum inopiâ me à proposito revocari sentio, ut  
non ausim mihi sumere, quod captum excedit. Historiam  
contexere, per se grave; Sed CURLANDORUM an-  
tiquitates evolvere non Tyronis est, sed Delium, ut dicitur,  
natatorem exposcit. Amor tamen in Patriam, cui dicente (a)  
*Bembô*, nihil tam arduum est: quin id exuperet, defendit incep-  
ptum, & temeritatis me absolvit, quorsum spectant (b) *Procopii*  
“scitissimi Sophistæ verba: Si Parentibus officium reddere, cum  
“veterum dicta, tum lex naturæ præcipit, quantam æqvum est  
“Patriæ gratiam rependere, è qua Parentibus etiam vivendi ini-  
tiū prodīt. Itaq, ego spe ducor, nec falli me existimo, si ru-  
di hōc & incomposito schediasmate non quidem referre Pa-  
triæ ornamenta, & in me etiam exstantia merita, sed tamen pie-  
tatem meam qualitercunque testari possim: Id enim gratum  
meritis testimonium fore confido, hoc magis, quod suave sit,  
“versari inter Majores suos, & veterum dicta factaq; recensere,  
“atque eorum venerationi totum se dare. Quod (c) *Egesippi*

A 2

effa-

(a) *Petr. Bembo in Histor. Venet. Lib. I. pag. 12.*

(b) *Epistola XLIX.*

(c) *De excidio Hierosolymitano L. IV. Cap. XVIII.*

effatum est, quodque (a) *Ovidius* jam dudum commendavit.  
Cum autem difficile impeditumque sit, tradere Historiam, ē  
monumentis erutam, tum parum de conatu meo sperare pos-  
sum: Tantum ergo abest, ut credam, me ultimas gentis nostræ  
origines accuratè posse exsequi, ut potius sentiam, non medio-  
crem esse facultatem, quæ tot implicatas abstrusasquæ gentis  
nostræ res complecti, & exactius consignare possit: Nihil ve-  
rò mihi tribuo, quod ex tripode exceptum sit: Probabiliora cu-  
jusvis judicio libens relinquo: Multò minus cuiquam aliquid  
meorum obtrudere cupio, quippe discendi avidus, & promptè  
admissurus, si meliora afferantur. Nam omnia me deficiunt,  
ætas, rerum usus, subsidia, apparatusquæ doctrinæ uberioris:  
Unum me, præsertim cum animum ad antiquissima revoco, so-  
latur, quod me Sapientes docuerunt: **Tam diu haben-**  
**da quædam certissima esse , quam diu**  
**non dantur iis certiora.**

§. I.

**P**riusquam verò rem ipsam ingredi-  
ar, vocabula mihi intropicienda sunt, quibus præsca gens:  
appellata est; atq; hæc eò minùs negligenda mihi viden-  
tur, quod rerum notæ dici solent, & sæpe ad illas investigandas:  
attinent, conferuntq; permultum. Ordinar autem à SCYTHA-  
RUM nomine, quod primas terræ nostræ incolas habuisse non  
dubito, & scio mihi adsentiri gravissimos Scriptores, tum id po-  
tissimum mihi argumento est: quod vetustissimi Græcorum (b)  
“ Scriptores, quicquid versus Septentriones ultra Emaum E-  
“ modumq; montes, mare Caspium, Caucasia juga, Pontum Eu-  
xinum,

• (a) Nescio quanatale solum dulcedine cunctos:  
Dicit, & immemores non sinit esse sui.

(b) *Vid. Phil. Cluverus German. antiqua Lib. I. Cap. II. p. 19.*

et xinum, Istrum amnem & Alpes marequè internum situm est,  
 hoc uno SCYTHIÆ nomine appellarent. Postmodum verò  
 cum autore (a) *Plinio*, SCYTHARUM nomen usquequaq; in  
 Sarmatas atque Germanos transiret; cumq; alii apud (b) *Stra-  
 bonem* Septentrionem universum in tria Arimasporum, Sar-  
 matarum & Hyperboreorum genera nominaq; dividerent, si-  
 gillatum SARMATARUM vel SAUROMATARUM & in (c)  
*Chronico Alexandrino* Γαραμάντων nomen adepti sunt, quos tan-  
 dem SLAVINOS & (d) *Phil. Cluvero* judice, rectius SLAVOS  
 posterior ætas Mauritiana (observante (e) *Melanchton*.) *Theo-  
 phylactus* etiam *Simocatta* imitatione Latini nominis Σκλαβηνοί  
 appellavit; ac eosdem RIPHACES quoq; dictos esse ex (f) *Pom-  
 ponio Mela* colligi potest; tum & SPORIORUM appellati-  
 one à Græcis notatos (g) *Alex. Guagninus* tradit, atq; dum FEN-  
 NORUM nomen à Prussis ad Lithuanos usq; (h) *Althammerus*  
 extendit, dumq; HERULIS veteribus Lithuaniam, & reliquas  
 ejusdem gentis provincias sedēm atquè originem fuisse, non  
 ambigit (i) *Kojalovvitus*, conterminos hosce de utrisq; parti-  
 cipasse nominibus, verosimile videtur.

§. II. Sarmatæ autem procedente tempore novas subiin-  
 dè instituebant colonias, quarum prima, & si (k) *Ptolemaum* se-  
 quimur, maxima pars VENEDI extitere, & hunc terræ tractum  
 insedere; quod infra plenius memorabo. Hic interim tacen-  
 dum non est, Venedos postmodum, subintrantibus Æstiis, VE-  
 NEDORUM in ÆSTIORUM (qui & ÆSTII & (l) *Jornandi*  
 ITEMESTI & ÆSTRI, (m) *Cassiodoro* HÆSTI, AISTI denique  
 (n) *Eginharto* dicuntur.) nomen commutasse, & divisâ à *Pli-*

A 33

nio

- (a) *Hist. natural.* Lib. IV. Cap. XII. (b) Lib. I. Cap. XI. (c) *Vid. Sam.*  
*Bochartus in Phaleg.* Lib. III. Cap. X. p. 198. (d) *Germ. antiqua* Lib. III.  
 Cap. XLIV. p. 690. (e) *in Chronic. Carion.* Lib. IV. f. 312. (f) *Lib. I.C. II.*  
 (g) *in Sarmat. Europ. descript.* f. 3. (h) *in Tacit. ap. Schard. Rediv. T.I.*  
 f. 36. β. (i) *Hist. Lith. Part. I.* Lib. I. p. 5. seq. (k) *Lib. III. Geograph.*  
 Cap. V. (l) *Lib. de reb. Get.* Cap. V. pag. 615. & Cap. XXIII. pag. 643.  
 (m) *Lib. V. Var. Epist. II.* (n) *in Vita Caroli M.* Cap. XII.

vis Æstiorum Gente in Scyros & Hirros, HIRRORUM nomen obtinuisse. Confer. (a) *Jornandes*, qui & *Jordanus* & *Gordianus* dicitur, (b) *Cassiodorus* & post utrumq; (c) *Eginbartus* tam recentiores (d) *Cluverus* (e) *Zeilerus*, aliiq;. Dum verò (f) Scriptorum nonnulli prædictos Æstios commutatò nomine GO THOS appellant, profectò subindicant, Gothorum progeniem fuisse; inde forsitan evenit, ut GOTHIÆ ORIENTALIS appellatione designaretur apud (g) *Bilbaldum Birkeimerum*. Postremò ARIOS etiam atq; MANIMOS (h) *Melancton* collat, ubi nunc Curetes suas sedes atq; Samogethi habent, et si tam non nesciam, aliter eosdem (i) *Althammerum* interpretari. Atque hæc quidem prima & antiquissima Patriæ gentis nomina strictim breviterquè perstrinxì, ut ultimos ejus mores non abhorrere à Curlandis, factaq; congruere, & ex HIRRORUM, ÆSTIORUM, VENEDORUMque monumentis arcessi “huc posse, ostendam: ceu & de Venedis intelligenda pleraq; “omnia, quæ Historiæ Romanæ Scriptores inde jam à Trajano “Imperatore de SARMATIS memoria mandarunt, haud ineptè colligere videtur (k) *Cromerus*.

§. III. Christianis seculis alia recepta sunt, quorum tam illud servatâ temporum serie, antiquius videtur, quod ante nominis specialis originem communiter LIVONES dicebantur; qui *Tacito* LEMOVII sunt, (l) *Althammero* teste, & EFLUI, (m) *Jocodo Willichio Reselliano* annotante, (n) aliis *Die Cyffen & Cyffländer* / (o) *Alexandro Guagnino* LOTIALI atque LOTWONI (p) *Bonfinio* etiam LIBONES, perinde

- (a,b,c) locis proximè citatis (d) *German. antiqua* Lib. III. Cap. XLVI. pag. 693. (e) *Itinerario Germ.* Cap. I. fol. 13. (f) *Vid. M. Christ. Hartknoch de var. reb. Pruss. Dissert. I* p.32. (g) *in Germ. explic.* quæ exstat apud Schardium rediv. Tom I. f. 12. (h) *in Chron. Cario.* Lib. IV. fol. 304. (i) *in Tacit. ap. Schard. rediv. Tom. I. fol. 33.* (k) *de orig. & reb. gest. Polon.* Lib. I. Cap. XII. fol. 12. (l) *In Tacitum apud Schard. rediv. Tom. I. B.* Vid. & *Volateranus Geograph.* Lib. VII. & *Aeneas Sylvius Europ.* Cap. XXVIII. (m) *apud Schard. rediv. Tom. I. fol. 66.D.* (n) *Vid. præter Weisselium Chron. ord.* fol. 39.b.41.b.42. (o) *Sarmat. Europ. Descrip.* fol. 45. (p) *Rer. Hun. dec. I. Lib. I. f. 3.45.*

ac terra eorundem LIBONIA. Et idem LIVONUM nomen multis hodiè Scriptoribus cum Livonia speciatim dicta commune habere gentem nostram, in aprico est, etsi, quando primum exortum fit, haud facilè explicare queamus, fatente id ipsum doctissimo harum originum interprete (a) Cluvero. Quod verò etiam PRUSSOS dici (b) Helmoldo (c) Cluverus observat, id unò duntaxat exemplò se tuetur, & nusquam alibi proditum esse, tutò affirmare ausim.

§. IV. Porrò etiam CARYONES dici Ptolemeo (d) Matthias Strykovskius opinatur, non inani conjecturâ, aut inscitô verosimilitudinis argumentô, quod temporibus Carolovингorum gens hæc dicta sit CHORI, unde CHORIONES, vel mutatâ literâ CHARIONES appellationem fortitos, prorsus existimare licet. Scribit namquè (e) Joh. Aventinus: Venedos "CHARIONES propriè dictos eam Norici portionem, quæ in " fra Taurum montem Orientem spectat, & inter fontes Muræ, " Dravi, Savi, includitur, usque Aquilejensem agrum occupasse & adhuc possidere; Fortè enim sub Venedorum nomine aliquando eorum portio in oras Imperii Romani, specialiter in Noricum migravit. CHORI verò antiquitus, cum Carolovingi regnarent, appellatam esse Regionem nostram (f) Adamus Bremensis, Antistes fide dignus, cum Rege etiam Daniæ familiariter collocutus, ex vita S. Ansgarii tradit docetq;. Non videtur congruere, quod (g) M. Christ. Hartknoch de Populo interpretatur, quod Adamus de Provincia expressit; Sed salva re est, quoniam Adamus stylum Remberti usumq; Scriptoris ævi Carolovingici non iisdem verbis reddidit, sed Provinciam nominavit, quod is de gente scripsit. Verba hæc sunt (h) Gens quædam abest, (Sueonibus) longè posita, quæ vocatur CHORI.

§. V.

- (a) Germ. ant. Lib. III. C. XLVI. p. 695. (b) Lib. I. Chron. Slavor. Cap. I.  
(c) Germ. antiq. l. c. (d) Lib. II. Hist. Lith. Cap. VI. & quæ ejusdem magis quam Alexandri Guagnini creditur, Sarm. Europ. descript. fol. 43.  
(e) in Boiorum annal. Lib. III. fol. 150. (f) Lib. de situ Daniæ & reliq. Septentrion. Region. Cap. 223. p. 146. (g) in Disp. de Curonorum Republ. habita Regiomonti Anno 1678. §. 1. (h) in vita S. Ansgarii Cap. XXVII. p. 216.

§. V. CURETES & CURI nominantur (a) *Saxoni Grammatico*, quem seqvuntur (b) *Philip. Melanchton* (c) *Joh. Magnus Gothus* (d) *Joh. Funccius* (e) *Alb. Krantz* (f) *Zetlerus* & alii, ceu & ipsa Curetum vel Curorum regio CURIA (g) sequioribus dicta est, & mutata subinde CURIA in CURONIAM, CURONES, nec non CURONI Incolæ vocari cœpere. Probè tamen distinguendi nostri, quos jam lustravimus, CURETES, ab illis sunt, qui in parte Ætolorum collocantur apud (h) *Strabonem* & (i) *Stephanum*: alii eos Cretæ adscribunt, & sub aliis nominibns Dactyli, Idæi, Coberi, Telchines, Aracnanes, Curiones, Corybantes hinc inde apud (k) Scriptores occurrunt. Qvamvis nostros hosce ab illis nomen traxisse haud dubiò fortè even tu inde colligam, quod illos Cybeles Deæ (quæ & Rhea & Adestis & Phrygia & Idæa & Dindymenes & Pylenes & Pessinuncia dicitur) Cultores fuisse, ex dictis modò Scriptoribus constet; Cybelem verò & his quondam oris cultam, Deamvè habitam (l) *Willichius* (m) *Cluverus* & alii ex *Tacito* luculenter probant; unde fortè exterios ex cultus divini harmoniâ & nominis similitudinem elicuisse, etsi non indubium, credibile tamen mihi videtur. Neque confundi debet nostra CURIA cum urbe Diœceseos Curiensis seu Rhætiæ Curiensis, ubi CURIA est Antistitis sedes. De quo vid. (n) *Ægid. Schudus Claronensis* (o) *Cluverus*, aliique.

§. VI.

(a) *Histor. Dan. Lib. III. fol. 42. 31.* (b) *in Chronic. Carion. Lib. IV. fol. 304. & 313.* (c) *in Goth. Suconque Histor. Lib. V. Cap. II. p. 196.* (d) *in Chronolog. fol. 53. ad annum 1243.* (e) *in Wandal. Lib. I. Cap. XI. fol. 10.* (f) *Itinerar. German. Cap. XXIV. fol. 120.* (g) *Vid. Phil. Cluv. Germ. antiq. Lib. III Cap. XLIII. p. 689.* (h) *Lib. IX. de situ orbis fol. 426.* (i) *in Notis ad Saxon. in Gram. Lib. I. Hist. Dan. fol. 48.* (k) *Vid. Diod. Sic. Lib. III. Rer. Antiq. Cap. V. fol. 95.* *Pausan. in Græciæ descript. Lib. V. fol. 299. 26. it. Lib. VIII. fol. 492. 46.* *Lucanus de bello civ. Lib. I. p. 33.* *Perottus in cornu cop. fol. 499.* (l) *in Tacitum ap. Schardium redivivum Tom. I. fol. 66. XXVI. & fol. 35. 3.* (m) *Germ. ant. Lib. I. Cap. XXVII. p. 200.* (n) *in Alpine Rhætiæ descriptione Cap. XII. exstat apud Schard. rediv. Tom. I. fol. 279.* (o) *Ital. ant. Lib. I. Cap. XV. p. 81. & Cap. XVI. p. 92.* §. XXII.

§. VI. Adamus verò *Bremensis* primus latina provincia  
hujus vocabula civitate quasi germanica donasse, & inde *Curl-*  
*land* composuisse videtur, cum is, quantum mihi quidem con-  
stat, primus nominis *Curland* mentionem faciat, & in libro  
(a) *de situ Daniæ* exponat atque describat. Perperam autem &  
contra Tiotissimi leges (b) aliqui *CURLANDIAM* nostratem  
*GERLANDIAM* appellant. Quo itidem judicio (c) *Michael An-*  
*tonius Baudrand* corruptè *CURLANDIAM* appellari censeat,  
id doctorum censuræ permitto, qui Germanos nomina à regio-  
nibus ducta extendere, atque annexò Germanorum vocabulò  
*Land* (ut ex *Tuisciā* *Tuiscland*/vel *Teutschland*) pronunciare,  
ex eorundem dialecto non ignorant.

§. VII. Neque id nesciant incolæ, dum dialectum hanc  
ad suum quoque idioma traxere, & hujus nominis provinciam  
*Kurr Semme* / ad imitationem quasi conformare voluerunt.  
Illud verò *Kurr Semmes* etymon, quod nonnullos ab illius  
idiomatis *Kurr* (ubi) & *Semme* (terra) conflare memini,  
quasi primi ejus inventores, terram quærentes (*Kurr Semme?*  
ubi terra?) in hanc regionem delapsi fuerint, & inde nomen  
imposuerint; id inquam cum fabula conjunctum est, & ne o-  
peræ quidem mihi pretium videtur, nunc perscrutari. Etsi ta-  
men *Wid Semme* (Livoniam) à mediò quasi inter *Æstiam*,  
*Semgalliam* ve situ nominari, & tutò concedi, & simile aliquid  
de *SEMGALLA* existimari possit. De qua rectè, etsi alias per-  
peram tradens, (d) *Michael Antonius Baudrand SEMGALLA*,  
„ inquit, est Livoniæ pars, sic dicta, quasi terræ finis: Quasi nem-  
pe, *Semmes Gals*. Exinde liquet etiam, minus accuratè di-  
ci nonnullis *SEMIGALLIAM*, quasi quid Galliæ præ se ferret;  
& miror, id fecisse Virum ceteroqui egregium (e) *Albertum*  
„ *Kranzium*, dum Semigallos, inquit, Senogallos à Latinis arbí-  
„ tror appellari, quod ex Gallorum gente provenerint, ac diffusi

B

sint

- (a) *De situ Daniæ & reliq. Septentrional. Region. Cap. 223. pag. 146.* (b) *Au-*  
*bertus Miræus in Not. Episcop. Lib. V.* (c) *in Geographia sub nomine Cur-*  
*land. fol. 314.* (d) *Geograph. fol. 224.* (e) *in Wandalia Lib. I. Cap. X. fol. 10*

„ sint, quod magnis olim agminibus Italiam vastarint, Urbem  
„ Romam incenderint, & Thracias, ac multas gentes diffude-  
„ rint, ut essent Gallo-Græci &c. Seno Gallos equidem, (qui  
& Galli Senones & Seno-Gallienenses audiunt) & Gallos esse, &  
perpetrasse hæc, nemo facilè inficias iverit, confirmantibus in-  
primis id ipsum (a) *Silio*, (b) *Livio*, (c) *Polybio*, (d) *Floro*, (e) *Paulo  
Diacono*, (f) *Dionysio Halicarnassensi*, (g) *Columella*, aliisque non  
paucis. Ast in hanc usque partem mundi excurrisse eos, terræ vè  
occupatæ à se nomen indidisse, nec vestigium est apud Histori-  
cos, quod confirmet, nec Synchronismus patitur, neque sermo-  
nis argumenta concedunt. *Fortè hoc si scivisset.*

*Auberius, ad ineptum prætensionis uni-  
versalis Gallicæ commentum, atque adeò  
ad injustum reunionis institutum adhi-  
bere potuisset.*

§. VIII. Nunc verò fractō cortice, sectisque quasi puta-  
minibus, nucleus ipse duobus veluti condiri posse thematibus  
videtur; quorum alterum quidem veram & propriam, atque  
adeo primævam gentis originem indaget, alterum verò, u-  
trum indigenæ sint Incolæ, de quorum nunc primordiis con-  
stet, an verò alienigenæ, discutiat ac persequatur. De primo  
quidem, ob varia sententiārum divertia, non convenit omnino  
inter eruditos, liquet tamen certò, VENEDORUM gentem an-  
tiquissimam esse & adduci posse, quæ hanc terram semper co-  
luerit & habitarit. Huc redeunt omnium, quotquot res Cur-  
landicas vel in transitu saltem attigerunt, suffragia, & quibus-  
cunque etiam, vel incidenti modò, & cursim, atque obiter conti-  
git,

- (a) *Lib. VIII. & XV.* (b) *Lib. V. & XXVII.* (c) *Lib. I. & II.* (d) *Lib. I.  
Cap. XIII.* (e) *Longobardic. rerum Lib. II. Cap. XXXIII.* (f) *In Lega-  
tionum excerptis.* (g) *de re rustica Lib. III, Cap. III.*

git, ut aliquid de gentis nostræ origine traderent, Venedis sanc  
eam acceptam ferunt. Suffragatur peritissimus Venedorum hi  
storiæ (a) *Bangertus*, qui dictos modo Venedos (qui & VENE  
TÆ & VINIDI & VENETI & HENETI promiscuè apud Scri  
ptores audiunt,) totum Sinum Veneticum non inhabitasse  
modo, sed & marie eidem nomen dedisse ex *Ptolemæo*, *Tacito*,  
*Plinio* & aliis demonstrat. Accedit quod (b) *Jodocus Willichius*  
, *Resellianus*, expressè sinum Veneticum hodiè Curiensem, à  
Curiorum Regione, vulgo *Curland*/nuncupari adserat. Ut  
ne dicam, quantum ponderis ea argumenta habeant, quæ (c)  
*Cluverus*, de oppidi amnisque Curlandorum *Windau* (genti  
Vente) nominibus, à gente Venedorum antiqua acceptis, &  
adhucdum retentis, superstruit. Multò minus hic repetere  
opus est, quod doctissimè (d) *M. Christ. Hartknoch* in hanc  
sententiam scribit, probatquè ex argumento succini, quod, col  
ligi quondam apud Venedos solitum, Poëtis fabularum occa  
sionem dedit, ut Venetis Henetisvè adscriberent, quæ Vene  
dis Sarmatarum populis erant tribuenda. Conferantur (e)  
*Ptolemaeus*, (f) *Plinius*, (g) *Tacitus*, (h) *Antonius Bonfinius*, (i)  
*Martinus Cromerus*, (k) *Herman Conringius*, (l) *David Chytra  
eus*, (m) *Joh. Matthias à Sudetis*, (n) *Joachimus Vogelius*, (o) *Va  
dinus*, (p) *Zeilerus* & alii plures.

§. IX. Quod cum oblectante nemine, per se clarum aper  
tumvè sit, ac omni omnino dubitatione careat, inquirendum

por

(a) In *Chronicon Slavorum Helmoldi* Lib. I. Cap. II. pag. 9. (b) in *Tacit. de  
German. moribus* Lib. II. Cap. XXII. exstat apud Schard. rediv. Tom. I.  
fol. 66. a. (c) *German. antiq.* Lib. III. Cap. XLIV. pag. 689. (d) *de Var.  
reb. Pruss. Dissert.* II. pag. 26. (e) *Geograph.* Lib. III. Cap. V. (f) *Histor  
natur.* Lib. IV. Cap. XIII. (g) *de German. moribus.* (h) *Rerum Hungar  
Decad.* I. Lib. I. fol. 2. (i) *de Polon. origine & rebus gestis* Lib. V. Cap.  
IX. fol. 9. 10. (k) *de finibus Imp. Germ.* Lib. I. Cap. II. & Cap. XVI. (l) in  
*Wandal.* pag. 1. 11. (m) *de origine Bohem. & Slav.* fol. 2. (n) in *Geo  
graphia* pag. 146. (o) *de colleg. Germ.* Lib. II. pag. 91. (p) *Itiner. Germ.*  
Cap. I. fol. 3.

porro in Venedorum originem est , ut sic per gradus quasi,& identidem, ad primum terræ hujus conditorem ascendamus. Venedam verò gentem à Sarmatis oriundam esse, tot Scriptorum firmant suffragia, ut luce in Soli addere velle viderer, si id probandum susciperem, quod jam diu ante meeruditihomines confessum dederunt: Si cui tamen hanc operam sumere libeat, præsto erunt (a) *Ptolemeus*, (b) *Plinius*, (c) *Iohannes Aventinus*, (d) *Cromerus*, (e) *Kranzius*, (f) *Guagninus*, aut potius rectius vel *Matthias Strykovsky Ossostevicus*; (g) *Althammerus*, (h) *Zeilerius*, aliique complures.

§. X. Nec tamen nobis adversatur (i) *Melancthon*, qui „universam Venedorum Fennorumquè & alibi Slavorum gentem (eadem origine) ab Henetis ortam esse, judicat, quos Herodotus affirmat ex Asia egressos in Illyrico consedisse. Et paulo post, nequaquam, ait, illis assentior, qui affirman, seu Polonos, seu Venedos, seu Slavos, Scythicam gentem esse, sed ab Henetis propagati regnarunt, & in Illyrico, & in Sarmatia, & Respublicas magnò consiliò constituerunt. Namque id saltem non impedit, quo minus dicamus, & Henetos ex Paphlagonia in has & vicinas Europæ oras egressos, Sarmatarum nomen adeptos esse, atque sic ne Philippum quidem Venedorum originem Sarmatis denegare.

§. XI. Multò minus nobis officiunt, qui à Germanis Venedorum origines repetunt, quos manifestum est, impingere in scopulos, & ire in præcipitia, atque ut dicam, quod res est, confundere VENEDOS cum WANDALIS, (alii Vandali, Vandelos, Vandilos, Vandulos, Vindilos, Vinulos & Vinilos, (k) *Zosimus*.

- (a) *Géograph. Lib. III. Cap. V.* (b) *Hist. nat. Lib. IV. Cap. XIII.* (c) in *Annal. Bojor. Lib. I. fol. 8.* (d) *de orig. & reb. gestis Polon. Lib. I. Cap. XII. fol. 12.* (e) in *Wandal. Lib. IV. Cap. VII. fol. 131. 45. & Cap. IX. fol. 133.* (f) in *Sarmat. Europ. fol. 1. a.* (g) in *Tacit. ap. Schard. rediv. fol. 3. a.* (h) *Itiner. Germ. fol. 12.* (i) in *Régionum & Gentium vocabulis, quæ recentur ap. Schard. rediv. Tom. I. fol. 77. B.* (k) *Lib. I. pag. 37.*

mus *Bævidius* dixit, ) qui origine, Parentibus, loco, lingua, morib  
bus institutisque à Venedis distincti, Germanæque originis fue  
runt. Prout ex (a) *Plinio*, (b) *Tacito*, (c) *Zosimo*, (d) *Francisco Irenico*,  
(e) *Mich. Beuthero*, (f) *Procopio*, (g) *Helmoldo*, (h) *Cluvero*,  
aliisque, nemini facile non constat. Venedos autem oriund  
os esse à Sarmatis, nec Germanis adscribi posse, enumerati jam  
supra Scriptores ad unum omnes concedunt. Hinc etiam  
Venedos à Vandalis secernunt accurati diligentesque Autores,  
(i) *Martinus Cromerus*, (k) *Bangertus*; & alii, cautèque admon  
ent, non oportere non distingui populos, quos, vel me tacente,  
migrationum historia distinguit; quorsum videatur Magnus  
**SCHURZFLEISCHIUS**, Praeceptor meus ævitemnum colendus  
amandusve.

§. XII. (m) *Taciti* ceteroqui lòcum, quo Venedorum na  
tionem Germanis an Sarmatis adscribat, dubitare sed dicit,  
eruditè interpretatur (n) *M. Christ. Hartknoch* / dum non ea  
propter dubitare Tacitum annotat, ac si negare velit, Venedos  
originem suam debere Sarmatis, (id enim ipsum concedere,  
inquit, existimo,) sed eò, quod rationē domicilia figendi Ger  
manicam in iis animadverterit. Quanquam & hic confusæ  
nominum rationes extant apud aliquos, dum promiscuè utros  
que populos sumunt, & Venedos sub Vandalorum, Vandalos  
vicissim sub Venedorum nomine venditant, exponuntque; Ita  
namque & Venedi Germani, & Vandali Sarmatæ (quod tamen  
coargui debet, & sine confusionis nominum patrocinio dictum  
volo) nuncupari possunt.

§. XIII. Nunc cum ad Sarmatas progredior, ordinis at  
que instituti ratio postulat, ut quisnam Sarmatarum Pater, quis-

B 3

ve

- (a) *Lib. IV. Hist. nat. Cap. XIV.* (b) *de Germ. moribus* (c) *Loc. cit.* (d) *Exe  
ges. Germ. Lib. Cap. XXXIII.* (e) *Animadvers. histor. Lib. I. pag. 15.* (f)  
*Lib. I. Histor. Vandal.* (g) *Lib. I. Chron. Slav.* (h) *German. ant. Lib. III.  
Cap. XLVI.* (i) *de origine & reb. gestis Polonorum Lib. I. Cap. X. fol. 10.*  
(k) *in Helmold Chron. Slavorum Lib. I. Cap. II. pag. u.* (l) *in Dissert.  
de rebus Slavicis §. IV. Not. e.* (m) *Libro de German. moribus Cap. XLVI.*  
(n) *de var. reb. Pruss. Dissert. XIX. §. 1. pag. 396.*

ve conditor extiterit, accuratius paulò exponam. Primiò vero omnium, removendum hic est, quod Herodotum sensisse  
(a) *Ant. Coc. Sæbellicus* annotat, quodque ipse in dubium vocat,  
& quantum fabula distet ab historiâ, dijudicat; acsi nimirum ex  
Amazonum cum proximis Scytharum accolis congressu, ori-  
undi sint Sarmatæ. Maximè fidem meretur, quod docti ferè  
omnes concedunt: Sarmatas à JAPHETO prognatos esse, etsi  
tamen aliqui, nec ii obscuri nominis Viri, dissentiant. Inter  
SEMI posteros sanè numerat (b) *Cromerus*, qui in hanc senten-  
,, tiam scribit; Slavos, inquit, & Venedos, ipsos esse priscos Sar-  
,, matas, vel ut Græci dicunt, Sauromatas, dispersisque à turris  
,, Babylonicæ ædificatione, post diluvium, universæ terræ homi-  
,, nibus, has oras occupasse opinamur, non à Tuiscone, sed ab A-  
,, sarmate seu Sarmate, quem Moses & Josephus, Ebræi Scripto-  
,, res, Istri & Jectani filium, Semi nepotem, Noæ pronepotem  
,, fuisse memorant, nomen originemque ducentes; peculiaria  
,, deinde nomina eos vel à locis, vel à principibus, vel ab eventu  
,, aliquo, ut fit, sibi sumisset. A quo si non planè, parum tamen  
abludit (c) *Joh. Aventinus* dum Thuisconem Gigantem Ger-  
,, manorum & Sarmatarum Patrem, cum viginti ducibus, Sami  
,, fratribus sui nepotib⁹, ex Armenia venisse in Europam, primum-  
,, que eorum Ducem, Sarmatam, fundasse Sarmatas, prolixè tra-  
dit. Huic testimonio accedere videtur nova quæpiam ratio, ea-  
que à ritib⁹ Ebræorum sumitur, quos in Lithuania, pariter atque  
in Curlandia, vixisse olim constat, nec hodienum exspirasse pe-  
nitius, vestigia produnt: cumque hac faciunt etiam (d) *Joh. Func-  
cius*, & quem ille quidem (e) alio loco citat *D. Andr. Osiander*,  
qui ab Israelitis, ductu Salmanassaris in captivitatem tractis, eō-  
dem argumento, eos derivant; quibus suffragatur etiam (a) *Se-  
verinus Gæbelius*, hoc unō ab illis diversus, quod Judæos non à

Sal-

(a) *Ennead.* II. Lib. V. fol. 105. (b) *de origine & reb. gestis Polon.*  
*Lib. I. Cap. XII. fol. 12.* (c) *in Annal. Bojorum Lib. I. fol. 8. 10. seqq.* (d)  
*in Comment. in Chronolog. Lib. X. ad annum Chr. 1217.* (e) *Loc. c. Lib. I.*  
*ad annum mundi 3217.* (f) *in dem einfältigen jedoch gründlichen Be-  
richt und Bedenken vom Ursprung des Agat und Bornsteins C. III.*

Salmianassare in captivitatem actos, sed desolatâ Hierosolymâ, Tito Vespasiano expulsos, in has oras venisse contendat.

§. XIV. Atenim verò, si quod rei veritas exigit, dicendum est, tota divinior historia refragatur *Cromero*, neque cum eo congruunt *Moses & Josephus*, ad quos ille provocat, dum neuter horum Asarmatē Semi nepotem, Noachique pronepotem nominat, sed sacra Genesis Hazarmapheten, (qui alias etiam Hatsarmaphet & apud Arabes Alidramauth vel Chadramauth audit) Jactani filium, Eberinepotem, Salæ pronepotem, Arphachadi abnepotem, Semi atnepotem, Noachi tandem trinepotem fuisse docet. Tum & ab Asarmate non Sauromatas, sed Atramotitas, Chatramotitas, Chatramothas, Chatriminitas, & Chatriminitas, Atramitas etiam & Adramitas, dici Græcis deducique, & hos tandem ipsos ad unum omnes fuisse Arabes, (a) *Sam. Bochartus* scitè explicat: Quorsum spectant etiam (b) verba ejusdem Josepho opposita: Eos nihilo plus probo, „ qui nimium remota consequantur, ut qui ex Chavila deducit „ Babytacen, & Sachalitas ex Sabteca. Et in ultimo Septentri- „ one Opharitas & Sarmatas ab Ophir & Hatsarmaveth, qui in „ extremo Austro siti sunt. Ac, ut verbō rem exprimam, Sau- romatarum populū non à conditore nomen, sed à moribō (quod suō locō docebitur,) acceperunt. Quod verò ad *Aventini* verba attinet, non agnoscunt sacræ paginæ Tuisconis fratrem quendam, SAMI nominis, neque ultra duos RIPHAT & THOGARMA numerant. Sin SEMUM intellexit *Aventinus*, Semus non Ascenatis frater, sed patruus magnus, seu avi frater exstitit, quod ex sacro Codice in vulgus notum est. Illud verò quod de ritibus Ebræorum dicitur, futile est, propterea, quod manifestum est, Japhetigenas, & à Semitarum Ecclesia alienas gentes, maximopere affectasse & æmulatas fuisse instituta atque ceremonias populi sanctioris, id quod post alios nuper (c) *Petrus Daniel Haetius* eleganter demonstravit.

§. XV.

(a) in *Geograph. sac. Phaleg. Lib. II. Cap. XVII.* pag. 113. (b) in *Præfat. ad Geograph. sac. §. interim hic cavendum, &c. circa finem.* (c) *demonstrat: Evang. prop. IV. Cap. II. III. IV. V. VI. VII. seqq.*

*BRD 27 6360*  
§. XV. Dari etiam nonnullos, qui è CHAMICÆ posteri-  
tatis sobole CANAAN, Slavos seu Sarmatas derivatos cupiant,  
recenset, & redarguit *Josephus Ben Gorjon* apud (a) *Bochartum*.

§. XVI. Ceteroqui eorum, qui in Japheto cœu Sarmata-  
rum fonte ac origine conveniunt, non una est eademque de Ja-  
pheti filiis sententia. *Josephus* enim *Ben Gorjon* Sarmatas inter  
filios DODANIM Javanis nepotes, Japhetique pronepotes nu-  
merat, ut testis est (b) *Bochartus*. Plures ejusdem sententiæ vide-  
ri apud (c) *Cromerum* possunt. Idemque (d) *Bochartus* alio lo-  
co, duos saltem Japheti filios, TYRAM & JAVANEM in nostram  
migrasse Europam annotavit, alios etiam (e) alibi recenset, qui  
ad MEDOS (à MADAI Japhetis filio oriundos) ex Plinii, Melæ  
& Trogi suffragiis, Sarmatarum initia natalesque revocant; &  
ipsum ego *Bochartum* idem asserere hoc ipso crederem, quod  
„fortè Sarmatas ex Chaldæo מִרְיָה שָׁאָר Sar vel Sar-Madai,  
quasi Medorum reliquias dici, annotet, nisi verbis proximè ante-  
cedentibus, Sarmatas, Parthos, Medosque affines potius, quam e-  
jusdem originis fuisse, ipse exinde colligeret, atque adeo prius il-  
lud in dubitationem vocaret. Nunc verò Philologica Histo-  
riæ immiscere propositi mei ratio vetat.

§. XVII. Plures verò, imo vel maximos calculos illorum  
urna habet, qui in GOMERUM ultimam Sarmatarum originem  
reducunt, etsi tamen in Gomeri filiis non usque adeò conveni-  
ant, quandoquidem alii RIPHATEM Sarmatarum Patrem con-  
stituant, alii verò THOGARMATEM malint, plurimi THUIS-  
CONEM seu ASCENATEM determinent. Et (f) *Althamme-  
rus* ad INGÆVONEM usque, MANNI Filium, THUISCONIS-  
que nepotem descendit, quem Danos & Sarmatarum nonnul-  
los, singulatim LIVONES, Bructeros, Pomeranos & Holsazenses  
fundasse annotat. Aliis aliter placet.

Ego verò nunc PRIORI huic finem modumque statuo, ve-  
ras gentis nostræ origines diatribæ POSTE-  
RIORI reservaturus.

(a) In *Geograph. sac. Phaleg.* Lib. III. Cap. XV. p. 229. (b) *Loc. cit.* (c) *Lib. I.*  
*Cap. II. fol. 2. a.* (d) *Phal. Lib. III. Cap. I.* pag. 171. E. (e) *ibid. Cap. XIV.*  
pag. 225. B. (f) in *Tacit. de Germ.* apud Schard. *rediv. Tom. I. fol. 5. a.*

Q.K.  
384  
2/2




C  
E

Amp

M.

JO



169)

V.

TORICA

II n  
6360

AM  
AN

VTIS

EM

*ordinis suffragio*

GHENIS

bit

RHANÆUS  
rlandus

TE  
RO ERNESTI,

50.  
M. DC. LXXXIII.  
C.

e Augusti BRUNINGII.